



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus VIII. Argumentum. An Regularibus cunctis indistinctè faveat  
Privilegium aliquod ut promoveri possint as SS. Ordines extra Tempora a  
Jure statuta, diebus Festivis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)



tu finè affecutione Presbyteratus, vel ratione beneficii possessi, quod habeat annexos Ordines sacros, vel ratione beneficii sibi debiti ex lege foundationis, nisi adfit justa, & legitima causa, quæ ipsum retrahat à concessione Ordinum. *Pignatell. consult. 19. nu. 4. tom. 7. Barbos. de offic. & potest. Episcopi par. 2. alleg. 4. n. 66. R.P.D. Petra in comment. ad Constit. Apost. tom. 1. pag. 325. n. 18. Rot. decis. 186. nu. 3. cor. Rembold.*

6 In casu præfenti Titius est quodammodo similitudinarie arctatus suscipere primam tonsuram, dum cum ei debeatur hujusmodi beneficium, utpotè ad ipsum vocato à Fundatore; & nominato à Patrono, si ei denegaretur Clericalis tonsura, amitteret beneficium de suo jurepatronatus passivo, & admitteretur extraneus ad exclusionem ejus de sanguine, & familia contemplata, quod fieri non debet in grave illius præjudicium, absque justa, & rationabili causa. *Card. de Luc. de benef. disc. 72. n. 7. & in Miscell. disc. 25. n. 10. R.P.D. Petra ubi supra nu. 29.*

Nec pro causa allegari valet, quod ipse sit filius unicus, quasi quod vellet Ecclesiasticæ militiæ adscribi in fraudem, nimirum ad evitandam subjectionem Judici sæculari, quia cum ipse petat Clericali charactere insigniri ob assequendum beneficium habitu Sacerdotale, ex hoc præsumitur, primam tonsuram suscipere velle non in fraudem, sed potius ut laudabile servitium in statu Sacerdotali Deo præstare possit. Minusque est allegabilis altera causa, quia cum facto experimento intrà terminum unius anni, & ultra, nulla morbi epileptici signa dederit, non est proinde arcendus à sacris Ordinibus ex eo, quia olim passus fuerit deliquium, ut in similibus terminis resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Tudertina Ordinationis 19. Julii 1704.*

8 Quærò an quis promoveri possit ad titulum Cappellaniæ, sive Beneficii amovibilis?

8 Respondeo negativè, quia titulus, ad quem quis promoveri cupit, debet esse perpetuus juxta Tridentinum *cap. 2. sess. 21. de reform.*, & docent expressè *Garz. de benef. p. 1. cap. 2. nu. 83. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 2. cap. 2. nu. 1.* & fuit resolutum à Sac. Congregatione Concilii in

9 *Tiburtina Cappellaniæ 14. Junii 1710.*; sicuti non potest quis ordinari ad titulum Cappellaniæ merè laicalis. *Antonell. ubi supra num. 2. Passerin. in cap. Cum nullus 10 art. 3. num. 66.* Verùm si Patroni se obligarent non remove præsentatum, dictamque Cappellaniam perpetuare ejus vita durante prævio Beneplacito Apostolico, posset quis ad titulum illius ordinari, obtento priùs dicto Beneplacito, quod solet concedi, prout concessum fuit ab eadem Sac. Congregatione in *Civitatis Castellii 18. Martii 1719.*, ubi cum quidam Clericus promoveri cupiens ad sacros Ordines nominari obtinuerit à Patronis ad Cappellaniam amovibilem, sub eorum obligatione illum non amovendi, dictamque Cappellaniam perpetuandi, ejus vita durante, prævio Beneplacito Apostolico; fuit pro eo supplicatum, & consecutivè rescriptum = *Pro gratia attempto consensu Patronorum, ita tamen ut si Orator aliunde provideatur sufficienter, Cappellania reassumat naturam amovibilitatis =*

#### ARGUMENTUM.

An Regularibus cunctis indistinctè faveat Privilegium aliquod, ut promoveri possint ad Sacros Ordines *extra Tempora* à jure statuta, diebus Festivis.

#### SUMMARIUM.

- 1 Sacri Ordines conferendi sunt in sex Sabbatis anni & num. 3. Et quare vide num. 4.
- 2 Ordinatus *extra Tempora* absque dispensatione, est ab executione Ordinum ipso jure suspensus.
- 5 Nullus sive Sæcularis, sive Regularis ordinari potest *extra Tempora*, nisi habeat Privilegium Apostolicum.
- 6 Privilegia, quæ in contrarium afferuntur, vel non loquuntur de facultate promovendi *extra Tempora*, vel sunt abrogata, vel sunt insufficientia indistinctè pro cunctis Regularibus; Et quæ sint hujusmodi Privilegia? vide nu. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 22. & 23.
- 15 Concilium Tridentinum, ut dicatur revocare Privilegia merè gratuita, & non con-



- concessa titulo oneroso sufficit, quod statuat aliquid, cui illa repugnet; Et quare: vide num. 16.
- 17 Concilium Tridentinum derogavit Privilegiis Regularis ante ipsum concessum promovendi extra Tempora.
- 18 Constitutio Pii V. la 41. fuit revocata, & reducta ad terminos Juris communis, & S. Concilii Tridentini à Gregorio XIII.
- 19 Privilegium Pii IV. non fuit confirmatum post Concilium à Successoribus Pontificibus, quo ad facultatem promovendi extra Tempora.
- 20 Confirmatio restringitur ad limites confirmati.
- 21 Papa nunquam censetur restituere velle Privilegium abrogatum, nisi id exprimat.
- 24 Non valet consuetudo, quod extra statuta Tempora sacri Ordines conferantur.

## C A S U S V I I I.

**D**Um studebam apud R. P. D. Anfidæum tunc Sacræ Congregationis Concilii Secretarium; quidam Religiosus strictioris observantiæ Reformatæ Provinciæ Calabriæ in quadam Scriptura, sub hoc titulo = *Dissertatio totius juris pro ordinatione extra Tempora* = impressa, quæ præ manibus circumferebatur; decidendum proposuit solitum, ac aliàs in Sacra Congregatione propositum dubium = *An Regularibus cunctis indistinctè faveat privilegium aliquod, ut promoveri possint ad sacros Ordines extra Tempora à jure statuta, diebus festivis* = Quod affirmativè resolvendum contendebat; Ego verò, eadem dissertatione perlecta; veritatis amore ductus, sequentia scripsi; & præfato dubio negativè respondendum censebam, non obstantibus in contrarium in ea deductis.

- 1 Disponitur enim à SS. Canonibus, quod in sex Sabbathis anni, & non aliis diebus sacri conferantur Ordines; nimirum in Sabbathis quatuor Temporum, quæ sunt post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis S. Crucis, & in Sabbathis Passionis, & Resurrectionis, juxta Text. in cap. Ordinationes dist. 75. ibi = *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, nisi*

*certis temporibus, & diebus exerceri non debent, idest quarti mensis jejunio, septimi, & decimi, sed & etiam quadragesimalis initii, ac mediana hebdomada, & Sabbathi jejunio, circa vesperam noverint celebrandas* = & in cap. De eo de tempor. Ordin. ibi = *De eo &c. Sed ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbatho Sancto, vel in Sabbatho ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum præterquam Romano Pontifici licet aliquos Ordinare* = ibique Abb. Anan. Butr. num. 1. Bellemer, Fagnan. nu. 1. Barbof. nu. 7.

- 2 Quorum Canonum observantia aded intenta, & volita fuit à Pio II., ut contravenientibus imposuerit poenam suspensionis ipso jure incurramdam; statuendo, quod si quis extra hæc Tempora absque legitima dispensatione se ad sacros Ordines promoveri facit, sit ab eorumdem Ordinum executione ipso jure suspensus; ut in ejus *Constit. la VII. incipien. Cùm ex sacrorum Ordinum S. 2. de qua Bullar. Roman. tom. 1. pag. mihi 389.*

- 3 Idem statuitur à S. Concilio Tridentino cap. 8. sess. 23. de Reformat. ubi Concilium mandat ordinationes sacrorum Ordinum fieri statutis à jure temporibus ibi = *Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis à jure temporibus, ac in Ecclesia Cathedrali &c. publicè celebrentur* =

- 4 Et quidem non absque maxima ratione sacri Canones determinarunt ordinationem sacrorum Ordinum fieri his diebus; quia cùm isti dies sint dies jejuniorum, quibus Christiani fideles, piis, & sanctis precationibus sunt intenti; ac sint dies Sabbathi; quo Deus requievit ab opere, ad tanti Ministerii potestatem pro utilitate Ecclesiæ aptiores assumerentur; & Ordinandi ad sacros Ordines intelligerent se à sæculi laboribus, ad requiem Domini transire. *Fagnan. in dicto cap. de eo de temp. Ordin. n. 38. Rebuff. in prax. benef. tit. de Cler. malè promot. gloss. 1. nu. 8. & 9. Barbof. de offic. & potest. Episc. par. 1. alleg. 17. num. 1. & seq. & de jur. Eccles. lib. 1. cap. 33. nu. 172.*

- 5 Stante igitur hujusmodi sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositione, nullus sive Sæcularis, sive Regularis prætereundum potest se promoveri facere, extra hæc tempora statuta, ad sacros Ordines, nisi sit sufficienti Privilegio Summi



Summi Pontificis suffultus; cujus tantummodò est proprium dispensare, ut extra statuta tempora sacri Ordines conferantur ad *Text. in cap. primo, & in cap. de eo de tempor. Ordin. Barbof. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 33. §. 2. nu. 178.*

6 Confarcinabantur, & afferebantur in contraria dissertatione §. *Constat* quamplurima Privilegia Summorum Pontificum, quibus pretenditur Regulares cunctos indistinctè promoveri posse ad sacros Ordines extra tempora à Jure statuta diebus festivis; At eis perlectis, & attentè scrutatis inveniuntur ipsa, vel non loqui de facultate promovendi extra tempora; vel esse abrogata; vel denique esse insufficientia indistinctè pro cunctis Regularibus.

7 Siquidem Honorius III. anno 1216 in ejus Constitutione la 235., de qua *Bullar. Cassinen. tom. 2. pag. mihi 245. in §. 10.* non concedit Regularibus facultatem, ut ordinari valeant extra tempora, sed solum elargitur Patribus Cassinensibus Privilegium recipiendi Ordines à quocumque Episcopo sibi benévifo, ut patet ex *dicto §. 10. ibi = Chrisma verò, Oleum sanctum, consecratione Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Monachorum, seu Clericorum à quocumque malueritis Catholico accipiatis Episcopo =* Nec in alia ejusdem Pontificis constitutione la 236. §. 3. *cod. Bullar. Cassinen. tom. 2. anno 1217.* conceditur Abbati Monasterii Sublacen. D. Benedicti, ejusque Monachis Privilegium, ut promoveri possint extra Tempora; sed solum idem Privilegium se promoveri faciendi à quocumque Episcopo Catholico; ut ex *dicto §. 3. ibi = Ad hæc propter frequentes injurias, quæ ab Episcopis, vel Episcoporum Monasteriis ingeruntur, datam vestro Cænobio à nostris Prædecessoribus facultatem, vobis quoque ratam manere decernimus, ut ad Ecclesias, cum expederit, dedicandas, aut Clericos in Monasterio Ordinandos à nobis Episcopum possuletis: Quod si ad nos pervenire in tempore nequieritis, quem malueritis Catholicum Episcopum adeatis =*

8 Innocentius III. anno 1203. in ejus Constitutione 22. de qua *Bullar. Cassinen. tom. 1. pag. mihi 25.* non concedit Abbati, & Monachis S. Pauli Urbis Privilegium, ut promoveri queant extra tem-

pora, sed solum Privilegium, ut se promoveri faciant à quocumque Antistite, ut in §. 8. *ibi = Consecrationes autem Altarium, & ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi à quocumque maluerint Abbas, & Monachi ejusdem Cænobii Catholico dumtaxat Episcopo Apostolica freti auctoritate suscipiant.*

9 Gregorius IX. anno 1236. in ejus *Constitut. 30. de qua Bullar. Cassinen. tom. 1. pag. mihi 35. in §. 8. idem Privilegium Innocentii III. se promoveri faciendi à quocumque Episcopo Catholico favore Abbatis, & Monachorum S. Pauli Urbis confirmat, non verò concedit eis facultatem, ut se promoveri possint extra tempora ibi = Consecrationes autem Altarium, & Ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi à quocumque maluerint Abbas, & Monachi ejusdem Cænobii Catholico dumtaxat Episcopo, Apostolica freti Auctoritate suscipiant =*

10 Dicitur in contraria dissertatione eodem §. *constat* facultatem promovendi ad sacros Ordines extra tempora, quæ prærenditur concessa Patribus Benedictinis, per Honorium III., Innocentium III., & Gregorium IX. ubi supra fuisse confirmatam; communicatam, & ampliata motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine à Clemente VIII. anno 1601. in ejus *Constitut. 378.*, quæ incipit *In supremo*, de qua *Bullar. Cassinen. tom. 1. pag. mihi 416.* Sed quàm sit hoc à veritate alienum, sufficit perlegere hanc constitutionem, & clarè ex ea videbitur Clementem VIII. ibi non confirmasse, nec communicasse, nec ampliassè Privilegium Ordinationis extra tempora; sed solum communicasse Privilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium Ordini S. Hieronymi sub Regula S. Augustini Regnorum Hispaniarum cum clausula, Quæ tenus sint in usu, & Decretis S. Concilii Tridentini non adversentur ibi = *Omnia, & singula Privilegia &c. eidem Ordini S. Hieronymi, ac omnibus, & singulis ejus Monasteriis &c. motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine &c. etiam per modum communicationis, seu extensionis inter se, ac cum aliis Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus &c. quatenus sint in usu, & Decretis S. Concilii*



*Tridentini non aduersentur Auctoritate Apostolica &c. approbamus, & confirmamus* = Et infra ibi = *Et ulterius omnia, & singula alia, quibusvis aliis tam Virorum, quam Mulierum Ordinibus &c. in quibuscumque Mundi partibus consistentibus &c. in genere, vel in specie concessa, approbata, & confirmata Privilegia &c. similiter quatenus sint in usu, ac Decretis ejusdem Concilii, & Regularibus institutis ipsius Ordinis S. Hieronymi contraria non existant &c. ad prædictum Ordinem S. Hieronymi &c. extendimus, & ampliamus, illaque eis communicamus* = Ac proinde potius ex hac Constitutione Clementis VIII. desumitur; quod Privilegium promovendi ad sacros Ordines extra tempora; quatenus fuisset concessum Ordini Benedictino per supradictos tres Pontifices ubi supra, cum aduersetur Decreto S. Concilii Tridentini dicta *sess. 23. cap. 8.*, non sit ab eodem Pontifice confirmatum, nec comunicatum.

11 Pius II. in ann. 1462. ejus *Constit. IX.* incipien. *Licet ex debito, de qua Bullar. Rom. tom. 1. pag. mibi 391.* non concedit Regularibus S. Benedicti Monasterii Montis Oliveti Aretinæ Diocesis Privilegiū, ut se promoveri possint extra tempora, sed solum, ut se promoveri valeant à quocumque Antistite Catholico, ut in §. 9. ibi = *Nec non quoties opus fuerit à quocumque Catholico Antistite Monachos, & Novitios dicti Ordinis ad hoc idoneos absque alio examine &c. ad omnes sacros Ordines promoveri facere, & conferendorum Ordinum hujusmodi, aut Altarium consecrandorum causa ipsos Antistites ad se in eorum Monasteriis advocare* =

12 Afferitur etiam in eadem dissertatione dicto §. *Constat* Quod Facultas, seu Privilegium, ut Regulares promoveri possint ad sacros Ordines extra tempora sit extensum, & communicatum per Constitutionem Sixti IV. incipien. *Regimini* la 4. omnibus Regularibus. Sed quàm sit hoc erroneum, & falsum advertere supplicamus Constitutionem IV. hujus Pontificis non incipere *Regimini*, sed incipere *Sancta Minorum Religio* nec ibi agi de communicatione similis Privilegii, sed solum ibi contineri approbationem, & explicationem Constitutionis Gregorii XI. de Auctoritate Cardinalis pro tempore Protectoris Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci, ut videre est in *Bullar. Rom.*

*pag. mibi 405.*; Constitutionem autem hujus Pontificis, quæ incipit *Regimini* esse la 6., & la 7. At in neutra ex illis fit communicatio similis Privilegii promovendi extra tempora omnibus Regularibus; sed solum ibi de anno 1474. fit communicatio Privilegiorum inter Ordines S. Dominici, & S. Francisci, ut legi potest in §. 16. *Constitutionis VI.* & in §. 14. *Constitutionis VII.*

Patet igitur Privilegia horum Pontificum non loqui de facultate promovendi ad sacros Ordines extra tempora; nec hanc Regularibus concedere; sed solum concedere facultatem, ut promoveri possint à quocumque Catholico Antistite, quæ est omnino diversa à facultate promovendi extra tempora; ac proinde vigore horum Privilegiorum non possunt Regulares indistinctè promoveri ad sacros Ordines extra tempora.

Afferuntur in præfata dissertatione dicto §. *Constat* alia Privilegia, quæ reverà concedunt nonnullis Regularibus facultatem se promoveri faciendi extra tempora, & quorum vigore prætenditur ab Auctore præfate dissertationis posse Regulares cunctos, etiam nunc indistinctè promoveri ad sacros Ordines extra tempora. Afferitur nempe illud Pauli III., qui de anno 1534. in ejus *Constit. I.* incipien. *Rationi congruit*, de qua *Bullar. Roman. tom. 1. pag. mibi 699.* in §. 3. concessit Patribus Camaldulensibus facultatem, ut promoveri possint ad sacros Ordines extra tempora; Quod Privilegium Pauli III. fuit anno 1528. communicatum Ordini Cappucinorum à Clemente VII. in ejus *Constit. la 21.* incipien. *Religionis zelus*, de qua *Bullar. Roman. tom. 1. pag. mibi 672.* Et illud Pii IV. anno 1560. in ejus *Constit. 9.* incipien. *Circumspecta*, de qua *Bullar. Roman. tom. 2. pag. mibi 9.* ab eo concessum Militibus Conventus, & Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ut promoveri possint à quocumque Antistite, & extra tempora. Quibus addi possunt alia duo Privilegia, quæ non nominantur in dicta dissertatione, nimirum illud Adriani VI. favore Ordinis S. Hieronymi, & illud Eugenii IV. favore Ordinis Benedictini, per quæ conceditur hujusmodi Religiosis similis facultas, ut promoveri valeant extra tempora, ut habetur

tur



tur in Compend. Privileg. verb. Mendic. Ordines §. 9. & §. 11. & referuntur à Chafsaing. Privilegia Regularium par. 2. tract. 7. cap. 2. propos. III.

14 Sed vigore horum Privilegiorum Regulares hodie nullatenus promoveri possunt ad sacros Ordines extra tempora; Quoniam fuerunt illa sublata, & revocata per Concilium Tridentinum dicto cap. 8. sess. 23. ut testantur Lezana in Sum. quest. Regul. cap. 14. tom. 1. nu. 19. ibi = Regulares non possunt modo post Concilium Tridentinum extra tempora ordinari; Ratio est, quia licet de hoc fuerint varia Privilegia Religionibus concessa &c. Concilium tamen Tridentinum sess. 23. cap. 8. id prohibet fieri = Et tom. 2. verb. Ordines sacri num. 19. ibi = Quod Regulares modo post Concilium Tridentinum ordinari non possint extra tempora = Ventrigl. in prax. tom. 1. annot. 44. §. Unic. num. 12. pag. mihi 278. ibi = In quibus terminis adverte quod possunt conferri hodie sacri Ordines vigore prædictorum Privilegiorum extra tempora, si Privilegia sint concessa, vel confirmata post Concilium Tridentinum, secus si ante Concilium, quia illa censentur derogata = Gonzal. in cap. De eo de tempor. Ordin. n. 7. prope fin. ibi = Sed hodie post Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. cap. 8. sublata esse prædicta Privilegia &c. Barbof. de jur. Eccles. par. 1. cap. 33. §. 2. nu. 182. ibi = Virtute tamen aliorum Privilegiorum à Summis Pontificibus ante Concil. Tridentin. concessorum non possunt Regulares tunc ab Episcopis ordinari Ordinibus sacris extra tempora = Matthauc. offic. cur. Eccles. cap. 35. §. unic. num. 4. §. Aliis pluribus R. P. D. Petra in Comment. ad Constit. Apostolic. Urbani II. sect. 2. tom. 1. nu. 69. pag. 344.

Nec juvat respondere hujusmodi Privilegia non esse per Concilium Tridentinum dicto cap. 8. sublata; eo quia de illis ibi non facit expressam mentionem, sicut solet facere, quando Concilium vult Regularium Privilegiis derogare, ut pluribus exemplis à §. Verum usque ad §. In specie conatur ostendere Auctor præfatæ dissertationis.

15 Quoniam ut dicatur Concilium Tridentinum revocare Privilegia merè gratuita, & non concessa titulo oneroso, non requiritur, quod expressè de illis  
Pars VI.

faciat mentionem, sed sufficit, quod statuat aliquid, cui illa repugnent; ut patet in cap. 1. sess. 7. de Reform. ubi Concilium licet non derogat expressè, & in specie Privilegiis, quæ antiquitus habebant Regulares se promoveri faciendi à quocumque Episcopo etiam in suis domibus sine licentia Dioecesanorum, ut patet ex Privilegiis superiùs enumeratis, tamen illa dicuntur revocata per Concilium, & Regulares non possunt amplius illis uti. Lezana in Summ. cap. 14. nu. 11. tom. 1. Tamburin. de jur. Abbat. tom. 2. disp. 2. qu. 19. R. P. D. Petra in Comment. ad Constit. Apostolic. tom. 1. pag. mihi 644. & in Comment. ad Constit. Eugen. IV. nu. 3. & seq. tom. 4. pag. 514. Van Espen. Un. Jur. Eccles. p. 2. tit. 9. cap. 2.

16 Ratio est, quia dictum Conciliare decretum editum fuit per viam legis, unde opus non fuit derogare in specie Constitutionibus, & Privilegiis antecedentibus, sed ad hoc, ut revocata dicantur, sufficit, quod sint contraria eidem decreto, ut docent Card. Albit. discept. 2. qu. 9. n. 2. penès Card. de Luc. de juridict. ibi = De mente autem Pontificis constare dicitur quando edit Constitutionem posteriorem per viam legis, nam tunc non est opus derogare in specie Constitutionibus, & Privilegiis antecedentibus = Gonzal. super Regul. 8. Cancell. gloss. 36. num. 32. Matthauc. offic. cur. Eccles. cap. 35. num. 6. §. Dixit.

17 Imò reverà Concilium Tridentinum expressè illis derogavit; in cap. enim 22. sess. 25. de Regular. mandat omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari in omnibus Monasteriis cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis; per quam clausulam fuisse derogatum expressè dictis Privilegiis à Concilio tradit idem Matthauc. ubi supra, Barbof. de Clausulis, clausul. 83. num. 1., Menoch. de Presumpt. præsumpt. 40. num. 22. lib. 6.

Sed sumus extra difficultatem, dum etiam admissò, quod non fuerit expressè derogatum eidem Privilegiis per Concilium Tridentinum, fuit tamen expressè eis derogatum per ipsummet Pontificem Pium IV. ann. 1564. in ejus Constit. la 94. incipien. In Principis Apostolorum, de qua Bullar. Roman. tom. 2. §. 1. pag. mihi 135.



ubi expressè revocat, & annullat omnia Privilegia contraria decretis Concilii Tridentini; & ad terminos hujus illa reducit.

- Non obstat, quod insinuat in dicta dissertatione §. *Neque opus fuit*, nimirum Pium V. in ejus Constitutione la 41. incipien. *Esti Mendicantium* declarasse decretum S. Concilii Tridentini in dicto cap. 8.
- 18 non habere locum in Regularibus, quoniam hujusmodi Constitutio non solum fuit revocata, & reducta ad terminos Juris communis, & Sacri Concilii Tridentini; sed etiam declaratio ibi facta, fuit ablata, & abrogata per Gregorium XIII. in ejus Constitutione la 9. incipien. *Intanta Bullar. Rom. tom. 2. pag. 370. §. 6. ibi = Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes &c.* = Ac etiam per Sixtum V. in ejus Constitutione incipien. *Sanctum, & salutare* la 91. Bullar. Rom. tom. 2. §. 2. ubi strictè præcepit observari in hac materia Ordinationis S. Concilium Tridentinum; & docent *Vasquez disp. 246. cap. 4. num. 44. in 3. Partem Divi Thomæ tom. 3. R. P. D. Petra in Comment. ad Constit. Urbani II. sect. 2. num. 7. pag. 336.*
- 19 Minusque adversatur id, quod dicitur in sæpedito §. *Constat* videlicet Privilegium Pii IV. post ipsum Concilium fuisse confirmatum, eo quia fuit ejusdem Pii IV. Constitutio confirmata à Gregorio XIII. in ejus Constit. la 60. incipien. *Quo magis*; à Gregorio XIV. in ejus Constit. V. incipien. *Quanta* apud Bullar. Roman. tom. 2. ab Urbano VIII. in ejus Constit. la 16. incipien. *Universalis Ecclesiæ*. Bullar. Rom. tom. 4. Etenim præfati Pontifices confirmarunt Constitutionem Pii IV. favore Militum Ordinis Hierosolymitani, quo ad exemptionem eorundem Militum à solutione decimarum, ac declararunt facultatem uniendi, & dismembrandi beneficia concessam M. Magistro, & Conventui à Pio IV. procedere sive ante, sive post mortem Possessorum, ut legi potest in illa Gregorii XIII. §. 7., & 10.; in illa Gregorii XIV. §. 4., & 5.; in illa Urbani VIII. §. 3. Non verò confirmarunt dictam Constitutionem Pii IV. quo ad privilegium promoveendi ad sacros Ordines extra tempora.
- 20 Et ratio est evidens, quia confirmatio

restringitur ad limites confirmati, & illius naturæ est non aliquid de novo tribuere, sed quod jam tributum est roburare, & præservare, si adfit, & ultra contenta in actu confirmato non se porrigere; ut expressè docent *Bonden. Colluct. legal. tom. 1. colluct. 26. num. 80. & seqq. Matthæus. offic. cur. cap. 35. nu. 8. Capic. Latr. consult. 82. num. 38. tom. 2.* Cum autem Constitutio Pii IV. de tempore, quo à præfatis Pontificibus fuit confirmata non continebat Privilegium Ordinationis extra tempora, dum hoc jam fuit antecesser revocatum, & sublatum, tum per Concilium Tridentinum, tum per ipsum Pium IV., ut superius dictum fuit §. 7. *Sed vigore*; sequitur per necesse, quod illud non fuerit confirmatum à prædictis Pontificibus; aliàs confirmatio fuisset facta sine confirmabili, quod non est admittendum, cum confirmari non possit, quod non est; *Bonden. ubi supra num. 82. Altograd. conf. 79. nu. 20. lib. 1. Rot. dec. 87. post Tondut. de Person. n. 18.* Aut non fuisset simplex confirmatio, sed nova concessio Privilegii Ordinationis extra tempora, favore Ordinis Hierosolimitani; quod non est dicendum, dum Papa nunquam censetur restituere velle Privilegium abrogatum, nisi id exprimat. *Nicol. resol. Canonice. lib. 1. tit. 11. num. 14. §. Quidem.*

22 Alia vero Privilegia, quæ adducuntur in eadem dissertatione §. *Et quamvis*, & §. *Neque opus fuit* post Concilium Tridentinum aliquibus Regularibus concessa nimirum illud Gregorii XIII. favore Patrum Societatis Jesu, de quo in ejus Constit. 77. incipien. *Pium Bullar. tom. 2.* Et illud Urbani VIII. favore Patrum Min. de Observantia in partibus Indiarum Occidentalium existentium, ut in ejus Constit. incipien. *Cum sicut* la 46. Bullar. tom. 4. suffragari non possunt indistinctè aliis Regularibus. Quoniam Gregorius XIII. concedendo eisdem Patribus dictæ Societatis Privilegium se promoveri faciendi extra tempora, expressè prohibuit fieri communicationem hujusmodi Privilegii cum aliis Regularibus, ut in §. 4. ejus Constitutionis ibi = *Præsentis autem gratia communicationem omnibus aliis, etiam qui sua Privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterunt*,



runt, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus = Urbanus autem VIII. concessit simile Privilegium Ordinationis extra tempora dictis Patribus Minorum in partibus Indiarum tantum existentibus, ut in ejus Constitutione ibi = Nobis humiliter porrectis inclinati omnibus, & singulis ejusdem Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum Occidentalium tantum existentibus = Unde solum Mendicante in Indiis habitantes illo uti possunt; juxta Vasquez in 3. Partem Divi Thomæ tom. 3. disp. 246. cap. 5. num. 50. in fin. Lezzana in Summa Regul. cap. 14. num. 19. tom. 1. & in verb. Ordines sacri num. 19. tom. 2. Monacell. tit. 6. formul. 20. par. 1. fol. 170. num. 36. ibi = Item quod licet nonnulli Regulares possint ex Privilegio Apostolico promoveri ad Ordines diebus festiuis per annum extra tempora à jure statuta, ut ex largitione Gregorii XIII. Constit. 77. gaudent PP. Societatis Jesu; Non inde inferri, & deduci potest, quod ceteri aliorum Ordinum, qui cum illis participant de Privilegiis, possint vigore hujusmodi communicationis recipere Ordines extra tempora. Sed debent simile Indultum concessum, vel confirmatum post Concilium Tridentinum exhibere = Privilegium autem Clementis VIII. quod, ut asserit Portellus oculis propriis vidisse concessum Fratribus Sancti Joannis Evangelistæ Portugalliæ, non

est attendendum; quia ut testatur Lezzana in Summa Regul. verb. Ordines sacri num. 19. hujusmodi Privilegia ultramontana habenda esse suspecta.

Denique gratis asseritur, in §. Neque opponatur, quod plures Episcopi doctissimi, & pii, ac etiam Cardinales cum Religiosis Minorum de Observantia, & cum aliis Regularibus nullam difficultatem habuerint practicandi Privilegium Ordinationis extra tempora; cum de hac consuetudine, & usu nullum præbeatur legitimum documentum; Sed etiam si admitteretur adesse hujusmodi usus, & consuetudo, hæc esset cum errore juris; & nullius esset roboris, cum non valeat consuetudo, quod extra statuta tempora sacri Ordines conferuntur ad Text. in cap. 2. de tempor. Ordin. Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 33. §. 2. num. 177.

Cum igitur ex hætenus deductis evidenter appareat omnia, & singula Privilegia collecta in contraria dissertatione, aut non loqui de facultate, ut Regulares promoveri possint ad sacros Ordines extra tempora; aut esse abrogata; aut non esse sufficientia indistinctè pro omnibus Regularibus; venit per necesse dicendum Regularibus cunctis indistinctè non favore Privilegium aliquod, ut promoveri possint ad sacros Ordines extra tempora, à jure statuta diebus festiuis.

## C A N O N XXIII.

CLEMENS XI. Regul. IX. Cancellariæ.

**I**tem cupiens idem Dominus Noster Papa pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sinè Cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum extra Romanam Curiam, aliàs quàm per resignationem, quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem quorumcumque Collatorum, & Collatricum, Sæcularium,

Ann. 1700.